



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

CAROLI SEGAAR
O R A T I O,
DE
HUGONE GROTI O, ILLUSTRI HU-
MANORUM, ET DIVINORUM,
NOVI FOEDERIS, SCRIPTO-
RUM INTERPRETE,
PUBLIC E HABITA

Die VIImo APRILIS

huius anni,

cum Academiae Magisterio iterum
se abdicaret.



TRAJECTI AD RHENUM,
Apud ABRAHAMUM VAN PADDENBURG;
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.
M D C C L X X X V.



N O B I L I S S I M I S
ATQUE
A M P L I S S I M I S
VRBIS. RHENO-TRAIECTINAE
C O N S U L I B U S
E T
S E N A T O R I B U S
A C A D E M I A E
C U R A T O R I B U S
BENIGNISSIMIS. BONARUM. ARTIUM. FAU-
TORIBUS. AC. LITERATORUM. HOMI-
NUM. MAECENATIBUS
H A N C. O R A T I O N E M
CUM. GRATI. ERGA. IPSOS. ANIMI
NEC. NON. INGENUI. CULTUS
SIGNIFICATIONE. VOLENS
ET. LUBENS. OFFERT
C A R O L U S S E G A A R

CAROLI SEGAAR
O R A T I O,
D E

HUGONE GROTIO, ILLUSTRI HU-
MANORUM, ET DIVINORUM,
NOVI FOEDERIS, SCRIPTO-
RUM INTERPRETE.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

PERILLUSTRES, AC PRAEPOTENTES CIVITA-
TIS TRAIECTINAE PROCERES, ELECTI, EQUI-
TES, MAGISTRATUS, PATRIAEC PATRES,

NOBILISSIMI, ET AMPLISSIMI VRBIS HUIUS
CONSULES, AC SENATOES, ACADEMIAE
CURATOES BENIFICIENTISSIMI,

A 3

SU-

2 CAROLI SEGAAAR

SUPREMI TRIBUNALIS IUDICES INTEGRERI-
MI, SPECTATISSIMI,

QUI VTRIQUE COLLEGIO A SCRINIIS, MA-
NU, ET LITERIS ESTIS. VIRI PEREXIMII,

DIVINARUM ATQUE HUMANARUM DOCTRI-
NARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLE-
GAE CONIUNCTISSIMI,

LITERARUM ET LEGUM DIVINARUM PRAE-
CONES FACUNDISSIMI, CASTISSIMI, OPERIS
CONSORTES SUAVISSIMI,

CUIUSCUMQUE DISCIPLINAE DOCTORES CON-
SULTISSIMI,

QUOTQUOT PRAETEREA FREQUENTES HUC
CONFLUXISTIS, CIVES ET HOSPITES, SUIS
QUIQUE MERITIS CONSPICUI,

TU DENIQUE LECTISSIMA, MUSARUMQUE
SACRIS DEDITA JUVENTUTIS CONCIO,
SPES PATRIAET ECCLESIAE, PARENTUM
GAUDIUM, CURA NOSTRA AC VOLUPTAS.

Si



i unquam, in hac certe temporum
iniquitate, Patria nos omnes,
Vosque potissimum, praeclari Iu-
venes, qui Humanarum Divina-
rumque doctrinarum studia aemulamini, tanta,
quanta concipi potest maxima, verborum gra-
vitate compellat, opemque & auxilium postu-
lat, poscit, efflagitat. Dicto audientes Vos com-
muni & optimae Parenti praebebitis, si, praet-
ter alia, cum vera religione apud Vos vigeat
incorruptus literarum amor. — Religio rerum
omnium prima est, & sanctissima; atque, ut,
quod primarium est, ad gratiam Dei nobis con-
ciliandam valet, ita in societate humana vim
etiam habet longe maximam: quamobrem &
Plato eam potestatis ac legum propugnaculum,
& honestae disciplinae vinculum, appella-
vit. Nulla monumenta perinde vitam ornant,

(ver-

4 C A R O L I S E G A A R

(verba sunt *Philippi Melanchthonis*) * nulla
moenia, nulla propugnacula, respublicas fi-
delius communiunt, quam Literae. Cum rena-
tis ex foeda mediorum seculorum barbarie Li-
teris olim puritas doctrinae Divinae ex den-
sissimis superstitionis tenebris protracta, & in
plena luce collocata est: tam arctum Reli-
gioni cum Literis, & tam amabile, sanctioris
alicuius necessitudinis est vinculum! — Flagitat
igitur a Vobis Patriae caritas, quae recte ita di-
citur, cum vero sinceroque Dei cultu iustum
Humanarum Divinarumque literarum studium:
ad quod, occasione non arrepta, sed ultro obla-
ta, cum, muneris annui deponendi necessita-
te compulsus, iam concionem habeam, hoc
in tempore Vos non cohortari religioni mihi
duco. At vero, cum exemplis facilius & effi-
ca-

* In elegantissima epistola praefixa *Egesippi Historiae Iud.*
ed. a. 1544. fol.

cacius doceamur, quam praeceptis, hoc consilio, Illustrissimum imitandum Vobis proponam exemplum Popularis nostri, *Hugonis Grotii*.

Hugonem Grotium simul ac me dicentem auditis, ob animum Vobis versatur imago viri sine exemplo Maximi, & extra omnem comparationis aleam positi, qui universum artium & disciplinarum ~~orbem~~ unus mentis magnitudine complexus fuit, & in quo ingenii humani quasi mensura eluxit. — *Perfecti Iurisconsulti formam* ante aliquot annos, ex vero, omnium intelligentium iudicio, in *Hugone Grotio* spectavit, vir excellenter doctus, & praeclarus in Illustri Amstelaedamensi Athenaeo Iuris Antecessor. * Opere *de iure belli & pacis*, quo hominum opinionem & spem non tantum sustinuit, sed & omnium exspectationem, immo &

* Henr. *Constantinus Cras*, cuius haec oratio prodiit *Amst.*

6 C A R O L I S E G A A R

& se ipsum, vicit, gloriae in hoc genere culmen egressus est *Grotius*. — Inter Primi ordinis eruditos *Poëtae* semper eminuerunt & *Historici*. In artem Divinam, naturae quodam impetu, vehementissimo studio ferebatur *Grotius*, huiusque, ingenio, Veterum lectione, & assidua exercitatione, tantam facultatem consecutus est, ut idonei quique harum rerum arbitri, & inter hos summi Poëtae, illum in Principum *Latinæ* Poëscos numero haberent; quin &, tanquam nullo Veterum inferiorem, inter Classicos scriptores referrent. * Veteres *Historicos*, *Ilerodotum*, *Thucydidem*, *Xenophonem*, *Polybium*, *Caesarem*, *Livium*, *Salustium*, & in primis *Tacitum*, optimum, si quis aliis, sapientiae civilis, quae historiae

ve-

* Vid. praeter *Scalig.* in *H. Grot.* Poëm. p. 446, 447., & *Vosf.* ib. p. 465., ut & de Poët. Lat. Opp. T. III. p. 257., in primis elegantissimus *Broukb.* ad *Propert.* L. III. El. 1, 41., & ad *Tib.* L. I. El. xi, 14.

velut anima est, magistrum, tanta sedulitate versavit, usque ita tritos habuit, ut in *Annalibus*,
& *Historiis*, de rebus Belgicis conscribendis,
Tantorum virorum aemulus, Historici omnibus
numeris perfecti atque absoluti exemplum ede-
ret. Erit igitur & forsitan aliquando, qui *Grotio* vel
Poëtae vel *Historico* panegyricum dicat. — Ego
hodie primus, quod sciam, meo quodam iure,
dicam de *Hugone Grotio illustri Humanorum*,
& *Divinorum*, *Novi Foederis*, *scriptorum in-*
terprete. Atque hoc ipsum, A., eam vim habet
& praefstantiam, ut in conspectu nobis ponat
hominem, non unum de multis, sed omni-
bus ingenii atque eruditionis virtutibus, qui-
bus Magnos viros aestimamus, cumulatissime
ornatum, quales *Scaligeros*, *Casaubonos*, *Sal-*
marios, & praeter eos unum & alterum, qui ipso-
rum vestigia sequeretur, extitisse cognovimus.

Argumentum hoc, ut ex vultu Vestro, & be-
nivola attentione, animadvertere mihi videor,

8 C A R O L I S E G A A R

audientiam mihi apud Vos facit: quocirca,
nulla interposita mora, *Grotium* ex ea, qua
dixi, parte, Vobis spectandum exhibebo.

Verum enim vero non nihil & fructus & vo-
luptatis allaturum esse puto, si primum, qua
via & ratione, quibusque praesidiis instructus,
ad summam interpretandi facultatem pervene-
rit, exposuero. *

A patre *Iano Grotio*, Consule Delphensi,
summae prudentiae viro, qui acerrimo bona-
rum artium studio, & indefesso labore, eo fa-
stigii escenderat, ante annum aetatis septimum,
idoneis magistris in disciplinam traditus, tan-
tos in literis Gaecis Latinisque progressus fe-
cit, ut ipso octavo aetatis anno carmina pan-

ge-

* Ad Historicam Orationis huius partem quod attinet, vide-
sis *Gasp. Brantii Historiam vitae Grosiana* batave vulgatam fol.,
H. Grotii manes ab inquis obtrectationibus vindicatos, editos dua-
bus partibus 8., aliosque, ab insigni nostro Polyhistore, Clar.
Saxio, Onom. Lit. P. IV. p. 101. — laudatos.

geret. Sic in puerō *Grotio* iam elucebant fœcundissimae dotes, a Benignissimo largitore Deo munificentissime in ipsum collatae; exaggerata vis ingenii, & admirabilis intelligendi celeritas; iudicii vigor non minus quam memoriae tenacitas incredibilis. verum ad haec accedebat summa, quae in omnibus rebus plurimum valet, diligentia tanto ~~politoris~~ doctrinae amore flagrabat *Grotius*, tamque contento literas studio colebat, ut bonos libros diurna non modo, sed & nocturna, manu versaret, somnum ante non capiens, quam iis legendis per aliquot horas vigilasset.

Qua igitur aetate alii literarum initii imbuuntur, ad Academiam Lugduno-Batavam *Grotium* iam gradum fecisse, anno nimirum undecimo vix exacto, ecquis est, qui miretur? atque hic, A., omnium ora in eum converti, maxima quaeque de eo augurari omnes! nec fefellit augurium, & publica exspectatio. Munere Divino praeceptor

ipſi obtigit, in cuius pectus, tanquam in ſuum templum, ſe Muſae receperant, quiqe, uno omnium conſenſu, in civitate Literaria principatum tenebat, *Iofephus Iuſtus Scaliger*, quo &, cum *Daniele Heinfio*, *Petro Scriverio*, *Dominico Baudio*, familiariter uſus eſt. duce igitur & auſpice incorrupto hoc de interiorum literarum finibus iudice, tribus continuais annis in omni doctrinarum genere ita elaboravit, ut non tantum affiduuſ eſſet in legendis Graecis Latinisque scriptoribus, & accuratissima diligentia temporum antiquitatisque memoriam replicaret, ſed & ad graviores disciplinas animum appelleret. *Matheſin*, omnesque *Philosophiae* partes mente & cogitatione comprehendit. At, pectus habebat philofophum *Grotius*; quis negat? Verum in *Scaligerana* ſchola Grammatico (honorificus tum erat hic titulus) cum *Philopho* arctiſſima & ſuaviflma intercedebat contubernii neceſſitudo: atque utinam omnes,

nes, qui literarum studia colunt, regiam hanc viam alacri animo ingrederentur, & severe constanterque persequerentur! Praeterea, omni tempore, nihil antiquius habuerunt viri Prudentissimi, quam ut Nobiliorum iuvenum animi prius Philosophia imbuerentur, quam, non ad Themidos atria accederent, sed in ipsa eius adyta penetrarent. His igitur fundamentis ante iactis *Iuris quoque scientiam*, non nudam istam & ieunam, quod iam quisque perfecit, vel me non monente, fatis intelligit, sed elegantioram illam multisque literis ornatam, peritissime superstruxit. — At *Principe disciplina* quid factum a *Grotio?* quid quaerimus? procul dubio doctrinas *Theologicas* leviter tantum attigit! quis enim in homine *Literato*, quis in *Iurisconsulto*, quis in Ceteris, qui civitatis Christianae dignitatem amplificandam sibi non sumunt, accuratiorem interioremque *Theologiae* notitiam desideret? ita scilicet ple-

rique omnes nunc opinantur. verum longe secus existimabat *Grotius*, existimabat et eius Parens. ad *Theologiam* animum sibi ita applicandum esse, ut in perpetuo reliquarum scientiarum & doctrinarum comitatu esset, censebat *Grotius*. Parentes, ut ipse scribit, maxime Pater, soliti erant, ut in *Dei cultu educarentur*. Quamobrem, inquit, *Lugduni quidem apud Francicum Iunium, Hagae vero apud Utenbogardum me collocarunt*. *Utenbogardus* eo tempore vir erat, ingenii, solertiae, & orationis laude florentissimus. Apud hunc igitur, post decursum Academicum stadium, *Hagae Comitum*, cum caussis orandis operam daret, habitavit. Idem hic *Utenbogardus*, quod nemini non notum, primarius deinceps *Arminianarum* partium fuit *Theologus*. atque huius familiaritati & consuetudini forte etiam tribuendum est, quod *Grotius* in arduis quibusdam & controversis *Theologiae* capitibus, a re-

reliquis diversus, in *Arminianorum* sententiam concessit. Ad Academiam delatus, id temporis, quod, studiorum caussa, Lugduni Batavorum commoratus est, apud *Franciscum Iunium* habitavit. — Atque hic teneri non possum, quin Eximium hunc virum meritis debitisque laudibus prosequar. Variis, iisque gravissimis, ~~laboribus~~ propter Castissimae religionis professionem, eiusdemque in primis promulgationem, defunctus, Lugdunum tandem venit, atque in splendidissima hac Musarum sede, praeter opinionem, ad Sanctiorem disciplinam docendam vocatur. Hic iam, Divina favente providentia, velut in theatro versatur *Iunius*, in quo ipsius ingenium, eruditio, virtusque spectentur: provinciam igitur sibi demandatam summa fide ac dexteritate, applaudentibus & approbantibus omnibus, administrat, docto risque nomen & partes ita implet, ut *Scaliger*, cetera ipsi neutquam bene cupiens, eum

C

om-

¶ C A R O L I S E G A A R

omnibus ferme Theologis, iudicii praesertim
acumine, preferendum esse, pronunciaverit.
Et, quantam accuratae exquisitaeque doctrinae
copiam, quam praeclara adiumenta & orna-
menta, ad Sacra tractanda, attulerit, abunde do-
cent, quae, ad honorem huius sui saceri tuen-
dum, in praefatione operis de *Historicis La-*
tinis scripsit Magnus vir, & summus idem
Grotii amicus, Gerardus Ioannis Vossius; con-
stat & ex pluribus, quibus nominis immortali-
tatem consecutus est, Praestantissimi viri scri-
ptis. Neque cathedra tantum, sed & tota vita
quandam Supremi magistri disciplinam habebat:
pictas adversus Deum erat magna; pietas,
quae non in labiis oberraret, sed ad veram
suam sedem, animi penetralia, descendisset:
pectus plenum erat Christi, in eo ipsi erant
omnia, & ad consummatissimum eius exem-
plum mentem, orationem, & universam vi-
tam componebat. Atque hoc me admonet, ne
silens

silentio praetermittam, quani admirabiliter pietatis sensum ipsi inspiraveris, quam Divina virtute, TU, SOLI JUSTITIAE, adolescentem Junium illustraveris. Nimirum, paulo ante pestilenti *atheismi* fidere afflatus, ecce iam, aliud agens, incidit in Caput primum Euangelii *Iohannis*: *lego*, inquit, (*auditis eius verba*) partem *Capitis*, & ita commozor legens, ut repente divinitatem argumenti, & scripti maiestatem, ductoritatemque, senserim, longo intervallo omnibus eloquentiae humanae fluminibus praecurrentem. * Ita quidem, A., committendum non esse putavi, ut, opportunitate data, meae erga Venerabile nomen observantiae testificatio desideraretur; potissimum tamen hæc a me dicta existimetis velim, ut intelligeretis, Cuius

vi-

* Vid. vita *Fr. Junii*, lectu dignissima, quam ipse conscripsit, praemissa *Operibus eius Theologicis*, T. I. p. 11. Quod ad cetera, quae hic dixi, conf. in *Praefat.* — *Viror. Epistolis* Epist. 400. 401. 448.

viri curae ac fidei *Hugonem* suum Academica literarum spatia ingredientem commendaverit commiseritque Optimus pater. Faxit Deus, ut de multis Viro tam recti exempli similibus gloriari possit, in posterum quoque, Patria nostra! ita ad altiora nati Iuvenes, non pravrum de Sanctissima religione opinionum veneno infecti, aut solo sere natalium praesidio freti, sed vero de Deo rebusque Divinis sensu imbuti, & ad humanitatem formati, studiisque exculti, atque adeo virtute & literis commendati, quod etiam atque etiam opto, propitio Summo Numine, & fausto cum omnium Bonorum applausu, ad honores escendent.— Sed, ut illuc redeam, unde digressus sum, nescio, an multum fallamur, si a disciplina & exemplo Thcologi tam spectatae probitatis & doctrinac, ex parte saltem, repetamus, quod, quainvis Theologum se non profiteretur, in lectione tamen & interpretatione Sacrarum scripturarum vixit *Grotius*; quod, ipso teste,

iis argumentis, quae pietatis professionem continerent, operari animo eius in primis volupe fuit; quod utilem, omnibus quidem civibus suis, sed praecipue navigantibus, operam praestiturus, *veritatem religionis Christianae* princeps, non minus populariter, quam scienter & pulchre, ab ~~adversariis~~ defendit; quod ad imperitorum mensuram ~~mire se submittens~~, suam & Christianam subolem, ad salutarem fidem, & non sicutum virtutis cultum, informavit; quod, quantumvis in pluribus iudicando lapsus sit, bonum tamen semper in religionem Christianam affectum prodidit; quod eos maxime sermones probavit, qui de rebus Sacris, & primaevi potissimum civitatis Christianae flore instituerentur; quod negotiorum & occupationum intervalla nullo oblectamento tam cupide dispunxit, quam placida rerum Divinarum cogitatione; quod denique regni Suedici legatum agens apud Christianissimum Gallia-

rum regem, singulis diebus, cum universa domo, de geniculis Deum adorare solitus fuit, cum famulis & ancillis ad Supremi Numinis folium affundi, communesque illi preces allegare, honori sibi ducens. Rarissimum profecto exemplum, Principibus viris, generis munerumque splendore illustribus, in primis imitandum!

Satis iam, nisi fallor, superque dictum, A., qua ratione praeparatus, quibusque dotibus instructus, ad interpretationis Humanorum, Divinorumque, Novi Foederis, scriptorum culmen pervenerit. Ad ea, quae caussae propiora & adiunctiora sunt, age nunc, progrediamur.

Grotium igitur *interpretem* spectaturis exemplo se offert scriptor, in quo huius facultatis tirocinium posuit, *Martianus Capella*. Prodierat hic quidem ante, sed squalore horridus. Hunc itaque ut meliorem cultioremque faciat,
di-

diligenter recenset *Grotius*; & annotationibus illuminat: at quo aetatis anno? quarto decimo. In ora tamen hominum exire non iussit, nisi cum tertium aetatis lustrum implevisset. Videt orbis Eruditus; videt literarum Princeps *Scaliger*, & ingenii, cuius remigio quoque *Cappellam* non uno loco emendatiorem dederat, sagacitatem, iudicii acrimoniam, & doctrinae copiam, admiratur ac stupet.

Sedecim vix annos natus, *Scaligeri* auspiciis, in lucem profert poëtae, cuius & testimonio Apostolus in admirabili oratione, Athenis in Areopago habita, usus est, *Arati*, *Phaenomena* & *Diosemeia*, cum sua metaphrasi, intertextis *Ciceronis* reliquiis; cum interpretatione *Germanici Caesaris*, quam primus perfectam ex veteri codice divulgavit; * cum pa-

ra-

* Vid. de hac Edit. *Scalig.* Ep. 375., &, de auctore huius interpretationis, si lubet, quae notarunt *Heins*, & *Burm.* ad *Val. Flacc.* I. 13.

raphrasi denique *Avieni*. Quid ab adolescentulo *Grotio* praefitum hic existimatis? — Infinitis scriptoris sui locis lucem & integritatem intulit. — Quam egregie literas Orientis, pro illo tempore, calleret, luculentis hic etiam speciminibus probavit. — Sed, quod praecipuum duco, *Arateorum* hoc *Syntagma* est duraturum ad posteritatem monumentum penitioris cognitionis, quam omnis antiquitatis, & veteris praesertim *Physicae* & *Astronomiae*, ea iam aetate habebat *Hugo* noster: quo & sic, quam amico foedere inter se conscientur, mutuaque ope sibi invicem non parum prosint, *Philosophia* & *Humanitatis doctrina*, suo exemplo optime monstravit.

Enimvero de omnibus, quibus interpretandis operam curamque impendit, Scriptoribus ita sigillatim dicere longum est: quam ob causam de plerisque verbo tantum dicam. — In *Tacitum*, quem in suis Annalium & Historiarum

rum libris maxime sibi effingendum summisit, emendationes notasque scripsit, & in vulgus dedit. — Ad quaedam *Statii* loca coniecturas fecit, quas ad Virum, magnis de re publica Literaria, & *Critice* potissimum, meritis nobilitatum, *Ioannem Fridericum Gronovium* transmisit. — Summus *Lucani* ob liberum ingenium, (quamvis ~~nimis calidum & praeceps~~) atque ob tyrannorum odium, quin esset admirator, in hoc poëta novò cultu adornando, & expoliendo, maiorem operam consumxit, longeque etiam accuratiorem & emendatiorem eum prodire iussit; addidit & Annotationes, secundis, tertisque item, curis locupletatas. — Ex *Nicolai Damasceni* historia universa Fragmenta quaedam, emendatis, quibus scribentis error vitium obtulisset, in Latinum convertit, adiungens, quae de *Nicolai* vita, atque ex eius scriptis ab aliis memoriae mandata, reperiret. — In Scriptoribus conver-

D ten-

tendis universe pares sibi habet *Grotius*; sed
in Poëtarum interpretatione nemo ad eum com-
parandus est. — Inter Poëtas Graecos prae-
reliquis admirabatur *Euripidem*, philosophum
quippe in scena; & cuius singulos versus sin-
gula eius testimonia se putare, scripsit *Cicero*. *
Huius igitur *Phoenissas*, quas Tragoediarum
eius optimam esse, in eruditissimis Prolegome-
nis pervicit, in Latinos versus elegantissime
transtulit, haud paucis quoque emendatis,
quamquam ceteroquin, in corrigendis hic li-
brariorum peccatis, non aequa felix, iudicibus
primariis Criticis, *Bentleio*, *Hemsterhusio*, &
cuius morte, quae me vehementer pereulit,
irreparabile damnum fecerunt Literae, cum
universae, tum in primis Graecae, quiue de
Euripide potissimum immortaliter meruit, *Valc-*
ke-

* Epist. ad Diversos. M. XVI. Ep. 8.

kenario meo. * In eodem erga praestantissimum Poëtam affectu ad finem vitae perstinxit; atque adeo Latino itidem carmine, pluribus post annis, *Iphigeniam* eius *in Tauris* expressit, tandemque etiam eius *Supplices*: utraque tamen haec conversio typorum formulis non est descripta. — Inter utilissima Veterum monumenta sunt *Collectanea*, quae ex magno Scriptorum vincitae solutaeque orationis numero singulari studio fecit, & per locos communes, moralis praesertim ac naturalis philosophiae, digessit, *Ioannes Stobensis*, a *Conrado Gesnero* partim, partim a *Guilielmo Cantero* in vulgus emissa, & latinitate donata. *Dicta Poëtarum*, quae in his laudantur, multis locis, cum ex ingenio, tum

* Vid. ad calcem *Hist. Chron. Io. Malalae Bentl. Epist. ad Mill.* p. 15, 24, 66. alibi. *Valcken. praef. ad Eurip. Phoeniss.* p. XI. & p. XII. in fine, & alia in *distr. in Eurip.* perdit. dram. reliq. p. 3. A., ubi *Hemsterh.* laudatus. add. & p. 195. C.

tum ex manu exaratis Codicibus, pristinae veritati restitutis, Latinis quoque numeris pereleganter reddidit, & Parisiis evulgavit *Grotius*. Nec multo post egregium exquisitae huius collectionis supplementum edidit, *Excerpta* nempe *ex Tragoediis & Comoediis Graecis*, tum quae extant, tum quae perierunt, emendata, & Latinis versibus redditu cum notis. — In *Epigrammatibus* conficiendis admirabilis in primis fuit & inimitabilis *Grotius*. *Epigrammatum* veterum *Anthologia* prae Latinis iam dum gaudebant Musae Graecae. Haec novissime collegerat *Maximus Planudes* monachus. In hac *Anthologia* multum operae collocavit *Grotius*. *Anthologiae Constantini Cephalae* in lucem edendae spem non uno loco fuscitaverat *Claudius Salmasius*; hanc editionem postquam diu frustra exspectasset *Grotius*, *Salmasium* rogavit, ut, quae annotasset, siccum communicaret. His adeo impetratis, *Anthologiam* illam

iam longe iam emendatiorem, & non paucis
ineditis epigrammatibus auctam, eadem, qua
Stobaeana & *Scenica*, ratione interpretatus
est, quo, ut *Vosio* suo scribebat, *velut ad*
duos fratres pari cultu tertius adderetur. *Vosii*
cura promulgari quoque illa coepta est, sed
coepta tantum, pervenitque deinceps ad *Ioan-*
nem Clericum, ~~qui novam quidem aliquando An-~~
~~thologiae editionem moliebatur, sed iuum hoc~~
institutum non peregit. Qua de re plura hic ad-
dere nihil attinet.*

De *Grotio* praeclaro Humanorum scripto-
rum interprete, quamvis plura dici possent,
haec, ut puto, sufficerint. Dicendum iam de
Grotio illustri scriptorum Divinorum, & Novi
quidem Foederis, interprete.

Ve-

* Vid. Clar. Sax. Onom. Lit. P. II. p. 137—141. & Anal.
p. 551., ut & cultissima Bibl. Crit. quae Amstelaedami editur,
P. II. p. 20. —.

Verum hic forte aliquis miretur fiduciam animi mei, qui, solenni oratione, *Grotium* ab hac parte commendare audeam. Neque & praeter exspectationen acciderit, si in graviorem nonnullorum reprehensionem incurram, qui hoc meum consilium, si non ab animi levitate, at a temere suscepta de *Grotio* opinione, profectum esse, arbitrentur. Quid? non neminem audire iam mihi videor talia obgannientem: *Grotium*, qui *Arminianorum* sententiam & consilia primum palam secutus est; *Grotium*, qui, varius & mutabilis, deinceps *Pontificiorum* decreta in cultu Divino probavit; quin & in gravissimis Theologiae quaestionibus a doctrina *Socinianorum*, peste illa fidei Christianae, proxime absuit: istum talem ab interpretatione Divinorum librorum publice laudare animum inducat homo *Calvinianus!* Pace vestra, A., ad haec nonnulla sigillatim dixerim. — *Calvini*, Viri non modo Graece & Latine perdocti, sed & principi-

cipis Theologi, admirator sum, isque maximus: nec mirum; ipse, ne de *Richardo Simonio*, aliisque dicam, *Arminius*, aequior alienae laudis spectator, de *Calvino*, eiusque *Commentariis*, & *Institutionibus Christianae religionis*, quibus equidem nihil par aut simile vidisse orbem Christianum arbitror, praeclarissime sensit. * Et idem ego *Calvini non admirator tantum, sed* & *sectator sum*, non humili tamen & servilis, sed ingenuus & honesta libertate utens: idque lubentissimo animo palam hic profiteor.— At quid tum postea? Vitione vertetur homini *Calvini* studiosissimo, quod honorificam de Praestantibus viris, qui diversam doctrinarum Christianarum formulam sequuntur, mentionem

* Vid. vita *Iacobi Arminii*, a *Gasp. Brantio* scripta, & edita Amstel. 1615CCXXIV. 8. p. 337, 338. vere etiam iudicavit de *Lunio* & *Piscatore*. vid. in *Praef.* — *Viror. Epistolies Egist.* 57..

nem faciat , ab iisque exemplum etiam sumendum esse , moneat ? *Lutheros* volo , *Melanchthones* , *Strigelios* , *Chemnitios* , *Schmidios* , *Gerhardos* , *Glassios* , *Hackspanios* , *Carpzonios* , *Moshemios* , *Ernestios* , *Michaëles* , aliosque huius formulae Theologos . Neque hostantum , sed & *Episcopios* , *Clericos* , *Limburgios* , pluresque his similes . Immo & *Masios* , *Maldonatos* , *Estios* , *Agelios* , *Lorinos* , *Bonfrerios* , & , qui his proximi sunt , egregios inter Pontificios interpretes . — Porro , ut non negem , semper sibi haud constitisse *Grotium* , & in nonnullis *Pontificiis* & *Socinianis* accessisse ; eum tamen in doctrinac & cultus Divini formulis Proteum fuisse , & mox in horum , mox in illorum castra transiisse , a vero prorsus abhorret . Saepius & vi quadam , & blanditiis atque illeccbris , ad Sacra *Pontificiorum* amplectenda , solicitatus , nunquam expugnari potuit ; ab iisque etiam in non paucis totus di-

ver-

versus est. * In gravissima *Satisfactionis* doctrina, quamvis *Socinianis* subinde velificatus sit, secum tamen semper hactenus consensit, ut a quorumdam verborum, quibus Sacra scriptura hic utitur, proprietate discedendum non esse, verissime censeret, illosque adeo perperam ab ea abire, identidem significaret, & confirmaret. ** Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum esse Deum, ob communem omnibus unam eandemque numero essentiam, ipsa re, non semel atque iterum, sed frequentissime, in primis

* De spe, qua prolectarunt *Grotium*, atque animi eius constantia, conf. in *Epiſt. Praeft. Vir.* Ep. 398. 399. Porro, vide v. c. ad *Operum*, quae vocant, *merita*, quae scribit ad *Luc.* XVII: 7. *cet.* Nota & hic, eum omne bonum salutare, eiusque etiam initium, uni Deo, eiusque insolitae gratiae, tribuere: vid. in *Iac.* I: 17, 18., & in primis in *Matth.* XIX: 17., & *Luc.* XVII: 5.

** Cum iis, quae hic dico, conf. in *Epiſt. Praeft. Vir.* Ep. 548.

mis in *Poëmatibus*, docuit. Infitias hic quoque non eo (& hoc mihi maxime dolet) in constituenda lectione, atque etiam in expositione, nonnullorum locorum, quibus CHRISTI Salutiferi divinitas potissimum nititur, *Socinianis* eum nimis blandiri; verum longe tamen ab ipso abest ista affectatio & cupiditas, quam in Clarissimo Novi Testamenti editore, *Wetstenio*, notarunt magnae eruditionis Viri, quaeque in his omnibus cernitur, qui Tibi, Optime & Maxime IESU, Divinum honorem auferre summo opere laborant. — Ceterum, studium *Grotii*, idque interdum haud mediocre, erga *Pontificios* & *Socinianos*, ut excusandum non est, ita lenius accusandum. — Erant inter *Socinianos*, quorum virtutem atque eruditionem valde sibi probatam & speciatam esse, dicebat: & si, quod animo intenderat, perficere potuisset, homines illi, in nonnullis certe, longe alii facti fuissent. — Patriae

triae exul, postquam in Galliam se contulisset, ut reperiret, unde viveret, variis se ingeniiis accommodare debuit. Gallia tunc temporis quoque Maximos viros fovebat, & inter hos, qui omnium artium ac disciplinarum summi & fautores essent, & admiratores: hi *Grotium* benivolentia complectebantur; horum amicitia & ~~consuetudine~~ utebatur. — Ad haec denique accedit aliud quid, quod maxime notandum est. *Quemadmodum de communi Gentium tribunali, ad Amphicyonum exemplum constituendo, ita & de una civitate Christiana, quae contraria in studia non scinderetur, sed pacem concordiamque sancte coleret, quamquam, quod facile est ad intelligendum, frustra, toto animo cogitavit Grotius:* hinc &, quantumvis *Arminianorum* partes potissimum sequeretur, uni tamen cultus Divini formulae addictus non fuit; atque adeo hoc etiam consilio scripsit, ut universos Christianos,

nos, quamcumque tandem disciplinae rationem amplectentur, sibi conciliaret; id quod ipse in *praefatione ad Annotationes in Euangeliā* diserte monuit. Atque haec aequis iudicibus, ut reor, abunde sunt. Ne cui tamen aliquid scrupuli restet, *res a verbis* seiungens, *Grotio* in scriptorum Divinorum Novi Foederis interpretatione *proprie dicta*, sive in sensu verborum explanatione, principatum esse tribuendum, tantum affirmabo. Quod dum facio, rogo Vos, A., ut me, sicut adhuc fecistis, benigne audiatis.

Rerum angustarum adversarumque insignes esse fructus, multo usū edoctus, non uno loco scripsit *Grotius*. Atque in arce *Lapistennensi* plura non tantum literis mandavit aeternitate digna; sed & hic ad interpretationem quatuor *Euangeliorum* aggressus est, pervenitque ad ultima *Lucae*, cum DEI immortalis nutu atque consilio inde liberaretur

tur * Haec annotata privatus ubi perfecisset, in aliquo honore constitutus publici iuris fecit. Atque inceptam hac ratione tabularum N. F. interpretationem (de Annotationibus in V. T. nihil dico) deinde persecutus, summam tandem operi manum imposuit.

Iam, primum omnium observetis velim, A., *Grotium ad interpretationem N. F.* non accessisse, nisi, postquam studium & operam in scriptoribus Latinis Graecisque tractandis collocasset. Omnis interpretatio, quae vere ita dicitur, plurimum doctrinae, & iudicii, assiduamque, cum observationem, tum exercitationem criticam, desiderat. Commendant se ab hac etiam parte Praestantissimi quidam Sacrarum literarum interpretes, *Erasmus, Melan-*

* Vide quae ipse Grot. scripsit in *Proleg. ad dicta Poët.*, quae apud Io. Stobaeum extant p. 6 —.

lanchthon, Zwinglius, Calvinus, Aretius, Erasmus Schmidius, alii. Iam, in Grotio omnia, quae iusta interpretatio requirit, in universum summa fuisse, ex superioribus, ut r^eor, liquido constat.

Verum ita se res habet in libris Sacris, ut quis, Humaniorum literarum opibus succinctus, atque in aliis Scriptoribus bene versatus, multa hic non intelligat, nisi & haud vulgarem habeat notitiam opinionum, morum, disciplinarum, institutorum, & conditionis temporum, quibus scripti sunt libri Divini. — Praeterea, quamvis in his libris plura inveniantur Graeca, e communi sermone potissimum ducta, nonnulla etiam, praesertim in duabus *S. Luciae* libellis, exquisite Graeca, centena tamen habent Divini scriptores loquendi genera, veteribus Graecis plane incognita: subinde & nova, quibus res ad Sanctissimam religionem pertinentes exponerent, moderatore Spiritu San-

Sancto, formarunt vocabula. Nimirum Iudaei, quibus principe loco doctrinam salutarem promulgabant, quibus & scribebant, viri Divini, ipsi Iudaei, Hebraicae loquendi rationi, ex usu quoque versionis Alexandrinae, assueti erant; deinde de multis rebus, de quibus veteres Graeci nihil quicquam cogitassent, dicere debebant ~~Coelestes nuncii. verbis itaque Graecis~~ novam quandam vim indere, novisque etiam vocabulis uti, saepemus ero necesse erat. Ad haec animum nunquam adverterunt isti vitio creati censores, qui, ut pluribus hodie mos est, tam abiecte de *stile* Sacrorum librorum N. F. loquuntur. Ceterum, hinc efficitur, ut quis, a lectione veterum Graecorum instruettissimus, plura hic quoque non capiat, nisi in linguae Hebraicae consuetudine cognoscenda, in legendis libris Iudaicis, aut certe eorum Excerptis, in contendendis inter se scriptorum Divinorum locutionibus, & denique, in *ipsis*

ipſis etiam rebus intelligendis, diligentem operam posuerit. — Universa haec egregie ad animum revocavit perspicacissimus *Grotius*; &, ut quisque in eius Annotationibus haec maxime observat, ita harum rerum merito scientissimus habetur. *

Sic igitur eo delabitur oratio, ut, quantum eius fieri possit, brevissime, demonstrem, in *Grammatica N. F.* interpretatione Summis viris, velut *Erasmo* & *Bezae*, in universum

pa-

* De ceteris non est cur hic aliquid moneam, sed quoad usum *Iudaicorum scriptorum* notandum est, *Grotium* hic prope primum fuisse, certe perdiligerter eos adhibuisse, ut monuit *Io. Aug. Ernesti* in aureolo libello, *Instit. Interp. N. T. P. II. C. 8. §. 3.* Exempla si desideres, vid. *Ann. in Matth.*, C. I: 16, 22. C. II: 4. C. III: 4, 16. C. IV: 10, 19. C. V: 17, 20, 22, 25, 27, 31, 33, 34, 38. *cet. in Marc.* C. IX: 49, & aliis locis. Prae reliquis autem magni fecit *Aben Ezram*, *Maimonidem*, *Abarbanelm*, & in primis *Manassen ben Israël*. conf. in *Epist. Praest. Vir.* Ep. 554. — Usus quoque est *Versionibus V. & N. T.* De versione *Graeca V. T.* paulo post sigillatim dico.

parem non tantum, sed & in nonnullis superiorem, extitisse *Grotium*.

Laudantur, & merito quidem, in scriptoribus Graecis Latinisque gravissimae & pulcherrimae sententiae; sed harum in sermonibus *Christi*, & *Apostolorum*, maxime *Pauli*, tanta est copia, quanta in nullo scriptore humano. Exquisitas Veterum sententias, quae ad Divinas respondent, eommodum afferet doctus harum interpres: non, quo iis valde opus sit ad verum infellendum, sed quod interdum tamen non nihil lucis foenerant, & haud parum profunt ad altos & magnificos Divinorum scriptorum sensus in oculis animisque desigendos; cum &, quod vel eruditissimos viros nonnunquam fecellit, quae verbis a Sacrorum librorum oratione prope absunt, re ipsa saepe alia omnia sonent; quodque adeo etiam quandam coelestis Sacrarum scripturarum originis commendationem habere videntur, quandoqui-

F

dem

dem in his ab hominibus, ab uno fere *Paullo* si discesseris, literarum expertibus, & inter alia omnia, quam doctrinae studia, natis educatisque, multo maiora & perfectiora literis consignata reperiuntur, quam quae a capitalibus ingeniis, & multiplicium doctrinarum artiumque promis condis, tradita habemus. Iam, in cognoscendis observandisque Poëtarum, Philosophorum, Historicorum, Oratorum sententiis, tam diligenter versatus fuit *Grotius*, ut eas in promptu & in digitis quasi haberet: vel integrum *Hieroclem* memoriter propemodum recitare poterat. Hinc igitur præ ceteris interpretibus plures Sacrarum literarum locos illuminavit, sublimesque earum sententias novo dignoque decore conuestivit. *

Uti-

* In *Proleg.* ad *ditta Poëtarum*, quæ apud *Stob.* existant, p. 9., & seqq. multas sententias, quae in Sacro codice reperiuntur, cum Græcorum sententiis comparavit. In *Annot.* in *N. T.* infinita fere huius contentionis sunt exempla, in *Annot.* etiam in nonnullis.

Utilitatis fructum in interpretatione longe uberrimum praebere iustam *Similium*, sive *Parallelorum*, ut vocant, locorum comparationem, constat inter omnes, qui aliquid in hoc genere vident. Ut enim comparatio varia sit, hanc tamen, nisi dissimilibus inter se conferendis, quod non raro fit, pro luce offundantur te nebrae, universe vim habet, ut res vel sententia quaedam clarius distinctiusque intelligatur.

VII.

nullas *Epistolas*, maxime tamen in Annot. in *Euangelia*, & prae ceteris in Ann. in *Euang. Matthaei*. Nec parca manu hic dare solet *Grot.* vid. v. c. ad *Matth.* V: 3. Sunt sententiae, quae tam prope ad *Divinas* accedant, ut merito mireris; sed in his aliquam barbarae philosophiae scintillam, immo & pravidentiae Divinae instinctum agnoscit: ita de *Platone* scribit ad *Matth.* X: 38. XV: 11. XIX: 17. *Pythagoram* in primis multa ab *Hebraeis* sumisse, non uno loco monet, velut ad *Matth.* I: 20. hinc & *Hieroclem* frequentius antestatur. videsis ad *Matth.* X: 27, 37. plura loca adscribere supersedeo, cum vel non quaerenti sponte se offerant. Maiorem *Divinarum* sententiarum praestantiam & aliquando notat. vid. ad *Matth.* VI: 33. *Luc.* XII. 4. cf. & ad *Phil.* II. 4.

F 2

tur. Verum hac sensus investigandi ratione nemo superiorum interpretum ita usus est ut *Grotius*, qui viam, qua progrediendum est, ut ad obscurorum & ambiguorum intellectum perveniamus, suo hic exemplo munivit.*

Ante hos tredecim annos me pluribus monere memini, ad cognoscendum loquendi usum N. F., interpretandosque adeo Divinos scriptores, plurimum prodesse versionis *Graecae Veteris Testamenti* recte institutam collationem. Pertinent huc etiam libri, qui dicuntur, *Apocryphi*. Fragmentis *Aquilae*, *Symmachiac* *Theodotionis* pretium quoque suum statuendum est. Atque hic *Grotius* omnes longe superavit: etenim versionem *Alexandrinam*, cui & non nun-

* Exemplis parco, cum *Grotius* in suis *Annotat.*, ubicumque opus esse videretur, egregio hoc interpretationis subsidio usus sit. testimonio igitur hic sunt omnes, quos scripsit, *Commentarii*.

nunquam aliquid medicaminis attulit; * pri-
mus recte comparavit; eiusque usurpandae vé-
ram rationem praecclare docuit. **

In

* Vid. e. g. ad *Mattb.* IV: 14. atque ita alibi. Aliquoties Cod.
Graeci lectionem quoque tuetur, velut ad *Luc.* II: 37. ubi & monet,
LXX solere liberiore interpretatione uti, rem ipsam explicantes.

** Argumenta collationis versionis *Alex.* nemo & hic de-
sideret, cum ubivis sint obvia. Sed de usu librorum *Apocr.*,
& Fragm. *Aq.* *Syrr.* *Theod.* aliquid addendum. Rarius *Frag-*
menta usurpavit: vide tamen ad ~~Matth. VI: 21. Marc. VII:~~
~~34. Luc. IV: 19. XVI: 26. Job. XIX: 37. 2 Cor. X: 13.~~
Libros *Apocr.* frequentissime testes adhibuit, interdum qui-
dem, ut inde verba & locutiones Divinorum scriptorum il-
lustraret, ut *Matth.* VI: 7., XVI: 22., XXIV: 7., XXVII:
5; 39.; *Marc.* XI: 42.; *Luc.* II: 39; XVII: 20; XVIII: 7.;
sed in primis tamen, ut sententias, quibus referti sunt, *omn*
sententiis Sacrorum librorum conferret: atque haec subest
causa, cur *Ecclesiasticum* sive *Sirach.* maxime laudet, in quo
egregio libello, ut scribit ad *Mattb.* XIV: 31., Hebraeo-
rum veterum sententias Graece expressas legimus. Exempla usus
huius *Apocr.* libr. vid. in *Matth.* p. 6^a. p. 9^a. p. 20^a. p. 26^a.
p. 29^a. p. 31^a. p. 32^a. p. 39^b. p. 45^a. p. 58^a. p. 74^a. p. 76^a.
p. 80^b. p. 81^b. p. 90^a. p. 113^a. p. 121^{a,b}. sed desino; nam re-
stant plurima, maxime in *Annot.* in *Euang.*; verum & in
Epistol., ut in II. *Ep. Petr.* p. 112^{a,b}. ceteris.

F 3

In instrumento interpretis N. F. etiam esse Doctorum Veteris ecclesiae, quos Patres vulgo vocant, * scripta, ecquis est qui ignoret? Coelestis antiquae ecclesiae splendor & pulchritudo ut *Grotto* saepe in votum veniebat, ita & ciuius Antistites maxime admirabatur, eorumque adeo libros summo studio legebat. Hos igitur & in sua N. F. interpretatione frequentissime in consilium vocavit. Sed, nonnullarum loquendi formularum usum apud prisens Theologos, veterumque etiam Christianorum instituta ritusque aliquos, primus perite adhibuit, ut aut obscuris aut ambiguis lumen affundaret.

Ex-

* In consilium quoque vocavit *Constitut.*, quae sub Clementis nomine leguntur, p. 397b., 402b., 470a. 471b. cest., ut & Synod. Can., ut p. 370a. 378b. 382b. — Illustrationis nonnullorum locorum ex usu formarum loquendi e Scripturis ductarum apud Veteres exempla vid. in Ann. in Matth. III: 4., XXVI: 26. p. 250a. 2 Petr. II: 1. Apot. I: 10. Quoad usum rituum Veteris ec-

cle-

Exemplorum apparatus respuit, & hic locus, & sermo ad popularem sensum accommodatus. * His igitur commemorandis, quod mihi demonstrandum sumseram, fatis me planum fecisse arbitror; *Grotio* nempe in *proprie dicta* N. F. interpretatione primas esse deferendas. Quod si ita sit, recte scripsit magnus *Ernestius*, hodiernae *grammaticae* N. F. interpretationis caput esse *Grotium*.

Ceterum. Annotationes eius eodem omnes loco non sunt habendae. Maximis nempe hominibus maior erat *Grotius*, & tamen homo. Quaedam non consideratissime scripta sunt, & Gro-

clesiae, *Grotius* primus ad verba *i Cor. V: 2.*, καὶ σχῆματα; observavit & demonstravit, Ecclesiam, cum aliquem esset a suo consortio exclusura, lugentium sumisset habitum, atque id esse hic πενθεῖ. forte & hoc referenda, quae scripsit ad vexatissimum locum *i Cor. XV: 29.*

* Notae iam exempla, quantum satis est, suppeditant, pauca tamen e multis.

Grotius ex *Grotio* nonnunquam est corrigendus. * In laudandis diversi generis Scriptoribus subinde erravit. Opinionibus quibusdam suis & aliorum haud raro nimis indulxit. Denique observandum est, Annotationes in *Epistolas* universo tanto studio non esse elaboratas, nec tam accurate scriptas, quam Annotationes in *Euangelia*; & omnium diligentissime elucubratum, summaque eruditione refertum atque exornatum esse. Commentarium in *Matthaeum*, quem & hinc e Commentariis *Grotianis* prae ceteris commendavit modo laudatus *Ernestius*.

Vivit nihilominus, vivetque per omnium seculorum memoriam *Grotius*, Humanorum non tantum

* Sic v. c. ad nobilem locum *Ief. C. VII: 14.*, coll. *C. VIII: 3.*, talia scripsit, quae merito improbantur. Sed longe alia & meliora dedit ad *Matth. I: 23.*, & *Luc. I: 31.* conf. & adscripta ad *Luc. XVII: 5.* & *Eph. II: 8.* ccr.

tantum, sed & Divinorum N. F. scriptorum; interpres omni laudis genere excellens & illustris;

Ad hunc iam Vos conformate, *florentissimi Iuvenes, suavissimi Commilitones*: Quod commendationi meae deëst, illud nominis *Grotiani* excellitatem apud Vos habituram esse pondus, haud temere confidere mihi videor. Enimvero non putem, ~~salubrem hanc monitionem~~ spreturum quemquam *Vestrum*, quod nulla spes est fore, ut incomparabile noc exemplum unquam ex aequetis. Vel ob insignem ingeniorum varietatem votis maius est, Vos omnes ad magnitudinem omnibus paene numeris absolutam longo intervallo accessuros esse. Et tamen huiusmodi exemplum in Generosiorum iuvenum animos inferendum est & alte defigendum, ut ad tantam laudem eadem via, qua *Grotius*, enisi, si prima consequi non possint, iat in secundis tertiiusve consistant. Hoc primum & ante omnia volo, Vos reverentia adversus Deum,

G

fu-

fucique experite modestia; *Grotium* referre; assiduis Vos infimisque precibus init & contendere, ut doctrinam Euangelii, per Dominum IESUM CHRISTUM ex profundis Divinitatis recessibus ad nos delatam, ita cognoscatis, ut, radiis eius collustrati, ad virtutis, altioribus Christianae religionis & fidei principiis animatae, amorem accendamini, eiusque aculeis ad imitandum ipsum perennis vitae Auctorem stimulemini. Pio hoc consilio, data opera libros Sacros legitote; cum his, tanquam purissimis falutaris doctrinae, veraeque virtutis, fortibus, ita consuetudinem habete, ut numquam, his neglectis, rivulos consectemini; hos denique, ut certissimum Religionis Palladium, summa observantia colite; Vos potissimum, qui in Theologia vobis ingenii Vestri domicilium collocare statuistis? quid enim Theologia sine literarum Divinarum lectione, interpretatione, usu? Porro, *Humanitatis* studia

hac

Hac tempestate contabescunt, & ruinam meditantur: adeo omnia alia, his studiis potiora videntur, & compendiariae ad quancumque Scientiam viæ quaeruntur! Nos igitur, amantissimi & ingenii erectioris Iuvenes, Nos obsecro, ut ne in artium ac disciplinarum Compendiis, ad tempus duntaxat necessarius, habitetis, neve Humanarum Divinarumque rerum cognitionem ambitioni, raut tendis etiam pueritiae cupiditatibus, manipulis viaria, & militaria omnes insistite, & politirix doctrinae praesidiis instructi, ad altiores deinceps quarumvis Disciplinarum gradus pedem promovete. Sic omnem deinceps aetatem in eo conteretis, ut & rem Literarum publicam ornatis, & maxime, ut, rebus lapisis succurrentes, Patriae, ac civitatis Sacrae, salutem dignitatemque, pro virili parte, tueamini, & auctiorem etiam cumulatioremque reddatis.

Hoc populari sermone, & hac in primis ani-

mi, ad communem utilitatem, aliqua certe ex parte, iuvandam propensi, significacione, si me, *Amplissimi & Nobilissimi huius urbis CONSVLES ac SENATORES*, *Vobis probaverim*, sati opera: pretium retuli. *Vos enim ii estis*, qui in florentissima hac urbe, tanquam in specula, collocauitis pro rei publicae & ci-*vium Vestrorum* conservatione ac salute noctes diesque excubatis non tantum & vigilatis, sed & consilia, ac studia *Vespra* eo confertis, ut huius Academiae rationibus quam optime consulatur: cuius rei argumenta non alte sunt repe-*tendas*, cum in promtu sint, haud ita pridem teriam edita. Ad me quod attinet, benevolen-*tia* mea complexi estis, tanta est, ut, si qualcumque meum laborem Lycei, huius commodis non impenderem, summo iure om-*nium indignationem in me converterem*. Co-*teris de me meritis tanquam cumulus accessit* Academiac rectio, per fane quam honorifica-

il.

illa, superiori anno a *Vobis* mihi iterum decreta. Verum, cum illorum meritorum magnitudinem, verbis si assequi laborarem, infantia mea valde minuerem, muto potius haec silentio admirabor, omnibusque, opitulante DEO, industriae nervis annitar, ut *Vos*, VIRI NOBILISSIMI, *Vestrorum* in me beniciorum nunquam poeniteat.

Iam solenni huius diei ritu defungendum est. Magisterio Academiae me abdico. *Nobilissimi & Amplissimi Curatores* meas vices suscipere iusserunt Clarissimum VAN HAMELVELD; quem igitur, potestate huius rei mihi facta, in proximum annum Academiae Rectorem publice dico & renuncio. Occupa igitur, Collega coniunctissime, locum hunc, qui paulo ante meus erat. — Salve primum in hoc constitute Rector Magnifice. — Omnia Magistratus Acad ei Insignia animo lubenti & prolixo ad Te trans fero. — Quod reliquum est, honor hic, ut

& Tibi, & Academiae, felix ac salutaris sit,
vehementer opto.

TE vero, DEVS aeternus & immortalis,
supplicibus votis veneror & oro, ut nobis vo-
lens propitiusque adfis, & hunc in primis an-
num Academicum, non incuntem modo, sed
& exequitem, bonum, fortunatum, felicem-
que esse iubeas. Respice Patriam, omnibus
caritatibus, vitaque ipsa, nobis cariorem, cui
periclitanti persaepe ita praeiens opem & auxi-
lium rufisti, ut TV oculis quasi videreris. Respi-
xe Ecclesiam TVAM; nec patere & sine,
hostes veritatis TVAE coelestis ista unquam
laetitia efferri, ut hanc terram, quam Sancti
Euangelii lumine beasti, videant vastatam. Mi-
seriis & aerumnis, quae nos premunt, omni-
bus, si ita TIBI visum fuerit, indulgenter nos
exime. Septemplicis civitatis nostrae PROCE-
RES, PRINCIPEM AVRIACVM, & MA-
GISTRATVS, per longam annorum seriem
fal-

salvos serva, eosque felici consiliorum & incepторum successu, extremis his temporibus, ita orna, ut Libertatis ac Religionis vindices sint & statores, atque ex procellis civilibus ad incolumentatem tandem redeat res publica nostra. Memento Academiae, Vrbisque, quae huic sapientiae & virtutis officinae iucundissimum hospitium praebet: fac, haec omni bonarum rerum copia affluat, illa integro verae pietatis, honestatis, virtutisque amore, atque incorrupto literarum sensu, in dies magis efflorescat.

Has TV, benignissime PATER, preces ratas habe propter sacrificium piaculare, ex quo spes omnis salutis nostrae pendet, TIBI semel a FILIO TWO factum.

D I X L

¶ F T A N

lives years, eaduo regni conuictum est in
capitulum frumentorum ex parte his concubitus in
ante, in Piscatore ac sepulture amicis tunc
de 70 annos, sed de obituariis civiliis in
conuictum regnorum regent et obitum nonis
Mense Augusto, 7 dies ante obitum dabo tunc
paterne curia officinam suam in loco
futurum peregit, sic pro omni portu et letu
copia sufficiet illis in usq; ad sejunctis, hunc peregrine
autem anno natus adhuc in loco natus.

Salve in die regni gloriæ vestre

Hæc TV^e postulans PATER^e precas in
me papa elector frumentorum peregrinis ex dono
laes omnia futilia relictus beatus, MDI fideliter
et PRO TAVO fideliter.

X I C